



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus II. De Jurisdictione. Aliquæ personæ in Judicio sunt necessariæ, de  
quibus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

## TITULUS II. DE JURISDICTIONE.

### §. 17.

*Jurisdictionem*

**P**RIMARIUM Judicii fundamentum est *Jurisdictio*, quæ significat facultatem jus dicendi. Definiri cum Glossa 28.) solet *Potestas de publico introducta, cum necessitate Juris dicendi, & æquitatis statuenda.* Potestas hæc a DEO est 29.) : unde dicit Pontifex, quod *omnis potestas tribuatur a Domino ad justitiam, rectumque judicium exercendum 30.)*. *Jurisdictio*, quæ principaliter exercetur per jussionem & coercionem, vocatur *Imperium*; vel *Merum*, quo exercetur potestas gladii in facinorosos; vel *Mixtum*, quod a Practicis modernis apud Sæculares vocatur *Jurisdictio Bassa*, vel *Vogteica* circa causas Civiles, aut Criminales civiliter intentatas. Breviter notandum, quis & per quos hanc  
Juris-

---

28.) In L. 1. ff. de Jurisdic.

29.) *Non est enim potestas nisi a Deo. S. PAULUS ad Rom. c. 13.*

30.) C. 1. §. 1. de Homicid. in 6.

Seç. I. Tit. II. De Jurisdictione. 17

Jurisdictionem hodie exercent in Ecclesiasticis, ac in Profanis 31.).

§. 18. Talem potestatem esse in Ecclesia, plane decet, etiamsi ab institutione Christi abstrahere placeat. *Habet Ecclesia*  
Notum est, apud omnes Gentes Sacra certo jure constituta fuisse, & apud plerasque jus etiam dixisse Sacerdotes 32.): imo Leges interpretandi & actiones constituendi scientia Romæ apud Collegium Pontificum erat 33.), ex quibus constituebatur, quis quoquo anno præesset aliis, Pontifex Maximus, vel Summus

B  
mus

31.) De Jurisdictione & Imperio in Republica Romana habet libros duos GERARDUS NOODT tom. I. fol. 81. seqq.

32.) Vid. DOUJAT Prænot. Canon. lib. 2. c. 2. n. 1. seqq.

33.) L. 2. §. 6. ff. de orig. Jur. JACOB. GUTHERIUS de veteri jure Pontif. Urb. Rom. Ciceronis tempore magna adhuc autoritas erat hujus Collegii. Ejus verba ad Pontifices in Orat. pro Domo sua in princ. sunt: *Cum multa divinitus a Majoribus nostris inventa atque instituta sunt; tum nihil præclarior, quam quod vos eosdem & religionibus Deorum immortalium, & summa Rer. publicæ præesse voluerunt.*

De Judiciis.

mus Pontifex vocatus, quem titulum  
prisci Cæsares affectasse leguntur 34.)  
& quidem etiam Imperatores Chri-  
stiani retinuerunt ad Gratiani tempo-  
ra, qui Pontifex appellari noluit 35.)  
Inde ad Romanos Episcopos transla-  
tus hic titulus est, qui universæ præ-  
sunt Ecclesiæ.

*In omnes  
fideles*

§. 19. Habet Ecclesia Jurisdictionem in omnes Fideles, non tantum pro foro interno in Pœnitentiæ Sacramento, ut quodcunque ligat super terram, ligatum sit in cœlo: sed etiam pro foro externo, concessa a Christo potestate, habendi inobedientes pro Ethnicis & Publicanis, infligendo anathematis pœnam, qua nulla est gravior in Ecclesia coercitio. Hanc Jurisdictionem non ab aliis, quam ab Ecclesiæ Prælatis exercitam, agnoverunt semper & reveriti sunt Imperatores & Reges, qui Ecclesiæ Christianæ membra esse volebant.

*Quoad  
casus  
Sacras.*

§. 20. Et quidem in his, quæ ad Fidei dogmata, Mores Christianos, administrationem Sacramentorum, sacramque Disciplinam pertinent, solis  
Aposto-

---

34.) SUTTONIUS in Augusto.  
35.) ZOSIMUS Histor. lib. 4.

Apostolis, eorumque successoribus summam competere potestatem, & sacrae Literae docent, & perpetuus Ecclesiae usus evincit, ab ipsorum Apostolorum instituto derivatus.

§. 21. Circa res temporales Lai- *De Tem-*  
corum Fidelium optandum, non ta- *poralibus*  
men sperandum est, ut nullae orian- *Laicorum*  
tur lites. Ejusmodi autem causis *judicant*  
Ecclesiasticos Cognitores constituisse *Secula-*  
Apostolum 36. ), dum iurgare Chri- *res:*  
stianos in foro prohibet, agnoscit S.  
Augustinus 37. ), seque frequen-  
ter iisdem occupatum conqueritur.  
Nam etiam Imperatores in profanis  
negotiis componendis ac definiendis  
Autoritatem Ordinis Sacri Legibus  
suis firmarunt, ita quidem, ut Causae  
Episcoporum sententiis terminatae,  
perpetuo stabilitatis jure firmatae cen-  
serentur; nec liceret ulterius retra-  
ctari negotium, quod Episcoporum  
sententia deciderit 38. ). Hanc ju-  
dicandi

B 2

dicandi

36.) I. Corinth. 6.

37.) In Psalm. 118. ferm. 24.

38.) Lex Constantini habetur ad finem  
Codicis Theodosiani sub Titulo *de Epi-*  
*scopali Judicio*, quae allegatur & inno-  
vatur Capitular. lib. 6. c. 366. & refer-

dicandi auctoritatem facile Judicibus Laicis relinquunt Episcopi, sibi que cum S. AUGUSTINO 39.) accommo-  
dant illud Psalmi: *Declinate a me maligni: & scrutabor mandata DEI mei.* Optant scilicet ab agitandis profanis litigiis, plerumque ex injuria, avaritia, aliove pravo affectu ortis, esse liberi, ut omnem curam in sacras suas functiones impendere valeant. Cum autem plurimi Episcopi profanas etiam Ditiones, Principatus, ac Ducatus sub se habeant, solícite tamen provident, ut Justitiæ in litibus decidendis ministros constituent, doctrina & æquitate conspicuos, ne ipsi turbulentis judiciorum negotiis identidem involvantur. Præ oculis enim

---

tur apud GRATIANUM c. 35. 36. XI. q. I. JACOBUS GOTHOFREDUS huic Legi fidem denegat Cod. Theod. tom. 6. fol. 340. seqq. CAROLUS FEVRETUS de l' Abus lib. 4. c. I. putat, hac lege Episcopos non ut Judices, sed ut Arbitros dari. Utrumque impugnat ALTESERRA in Vindic. Jurisdict. Eccl. lib. I. c. 7.

39.) Cit. serm. 24.

enim habent monita S. BERNARDI 40.), quibus adhortatur Eugenium Papam, ne audiendis litigantium cavillationibus nimium tempus impendat, non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere, quippe posterioribus occupatis 41. ).

§. 22. Certum tamen est, Eccle- *De Tem-*  
siæ Prælatos vera Juris dicendi au- *poralibus*  
toritate pollere circa personas, & res *Ecclesia-*  
etiam temporales Ecclesiarum, utpo- *rum*  
te a potestate Laica prorsus exem-  
ptas. Denegant aliqui 42.) omnem  
Jurisdictionem Episcopis, nixi Con-  
stitutione Novella VALENTINIANI 43.),  
ubi dicitur, *Episcopos & Presbyteros*  
*forum Legibus non habere.* Attendi non  
meretur hæc Constitutio VALENTINIA-  
NI Arianorum fautoris, quæ priorum  
ac posteriorum Imperatorum Con-  
stitutionibus adversatur; cujus Autor

B 3 acer-

---

40.) De Consider. Lib. I. c. 3. *Quæso*  
*te, quale est illud, de mane usque ad ve-*  
*speram litigare, aut litigantes audire?*

41.) Ibid. cap. 6.

42.) CUJACIUS in Paratitl. ad Lib. I.  
Cod. de Episc. Audient.

43.) Tit. 12. de Episcop. Judic.

acerbe reprehenditur a S. AMBROSIO 44. ), quod Episcopos subijciat Judicio Laicorum. Dein Ecclesia non habet quidem forum, nec intendit habere, prout Leges accipiunt, id est, cognitionem & judicium causarum civilium in territorio, limites Jurisdictionis terminante: sed sicuti Magister militum Jurisdictionem exercet inter militares viros, & circa res ad militiam pertinentes, ne milites avocentur a signis 45. ): ita etiam convenientius est, ut Clerici qui Deo militant, & res Ecclesiarum ad promovendum cultum Divinum spectantes, proprium habeant Judicem. Aliis minoribus Collegiis & Universitatibus competens Jurisdictio censetur necessaria: haud dubie etiam Ecclesiae, quae multitudine subditorum, distantia locorum & sublimitate negotiorum alias omnes Communitates & Regna longe superat, Jurisdictio competet in personas & res Templorum suorum, ad finem Ecclesiae Christianae praestitutum, certius & facilius obtinendum.

§. 23.

---

44.) Epist. 13.

45.) L. Magisteriae. 6. C. de Jurisdic.



§. 23. Nec scrupulus moveri de *Judices Ecclesiastici.* bet ex eo, quod in Codice Justiniano Titulus non inscribatur *de Episcopali Jurisdictione*, sed *de Episcopali audientia*; per audientiam autem intelligi soleat simplex Notio sine potestate & imperio. Quidquid sit de Rubricis Codicis Justiniani; certe Ecclesia suam vindicat Jurisdictionem, edito proprio titulo *de foro competenti*; per forum competens autem intelligitur Jurisdictio, vel locus ubi eadem exercetur. Unde in eodem Codice hæc duo conjunguntur *De Jurisdictione, & de foro competenti*. In Gallia quidem angustioribus finibus conclusa est Jurisdictio Ecclesiastica 46.): Jus Canonicum autem, tam in aliis Regnis, quam in Germania receptum, Jurisdictionem Ecclesiasticam firmam tenet ex antiquis Canonibus 47.), tempore primorum

B 4 Chri-

46.) Historiam Decretorum Jurisdictionem Ecclesiasticam restringentium exhibet BODINUS de Republ. lib. 3. c. 3. Nec veritatem, nec æquitatem eorum, quæ ibi dicuntur, examinare hoc loco licet.

47.) Concilii Sardicens. Can. 3. 4. 7. Antiocheni Can. 12. 14. & aliis. Carthagin. III. Can. 9. 10.

Christianorum Imperatorum editis, quorum summa eo redit, ut Clericorum causæ apud Episcopum judicentur; Episcoporum apud Synedum Provinciæ; Metropolitanorum apud Primatem aut Patriarcham; ita ut omnium tandem Appellatio ad Romanum Pontificem devolvatur.

*Summum  
exerci-  
tium hu-  
jus Juris-  
dictionis*

§. 24. Ecclesiasticæ hujus Jurisdictionis summum exercitium residet in Romano Pontifice, tanquam Capite Ecclesiæ visibili. Unicam quorundam oppositionem hoc loco attingimus 48.), quam desumunt ex Canone sexto Nicænæ Synodi, ubi dicitur, Alexandrinum Episcopum potestatem habere per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est: similiter & apud Antiochiam, ceterasque Provincias, honor suus unicuique servetur Ecclesiæ. Diversæ hujus Canonis sunt Lectiones, Versiones, & Interpretationes 49.): juxta Rur-

FINI

48.) Redibit fermo in Titulo de Appellationibus. Late de hac materia disputat Doctor MARTA Tract. de Jurisdic. &c.

49.) Has videre licet apud BEVEREGIUM in Pandect. Canonum tom. 2. in Annotat. fol. 47. seqq.

FINI explicationem Romanus Episcopus potestatem exercet in *Suburbicarias Regiones*. Jurisdictionis Pontificiæ hostes dicunt, Ecclesiasticas dignitates fuisse constitutas ad Civilium formam & modum: & quidem Pontificis Romani Diœcesin & Provinciam iisdem circumscribi finibus, quibus olim Urbis Præfecti Diœcesis & Provincia: hanc porro suburbicariis Regionibus contineri, quales ex opinione quorundam erant Picenum, Tuscia, Latium & Valeria: Regiones autem illas centesimo lapide, id est, centum millibus passuum definiri: proinde & Ecclesias, quæ a Rufino Suburbicariæ nominantur, ac Episcopo Romano attribuuntur, centesimo contineri, Mæcenæ hoc dedit consilium Augusto, ut Præfectum Urbis ex primariis Viris crearet; qui cum Urbi reliquis in rebus præsit, tum etiam causas illas, in quibus appellare licet ab omnibus aliis Magistratibus, itemque Capitales in Urbe, atque extra eam, usque ad 80. millia passuum dijudicet 50.).

B 5

§. 25.

---

50.) Sic scribit DIO CASSIUS lib. 52. ejus verba, aliosque Juris textus late

Residet  
in Roma-  
no Ponti-  
fice,

§. 25. Arbitraria est Rufini explicatio, nec Diœceses Episcoporum constanter Civilium Magistratuum formam imitatae sunt. Certe Synodus Nicæna nihil statuit de Romano Episcopo, sed occasione Schismatis Meletiani providet Patriarchæ, Alexandrino & Antiocheno, ut intra fines horum Patriarchatuum nullæ ordinationes ab inferioribus Episcopis fierent sine autoritate Patriarchæ, sicuti in Patriarchatu Occidentis nullæ solent fieri sine autoritate Romani Episcopi, qui Urbi præest tanquam *Episcopus*; Provinciæ Romanæ *Metropolitanus*; totius Italiæ *Primas* seu *Exarchus*; Occidentis totius *Patriarcha*; Catholicæ demum Ecclesiæ *Pastor* ac *Præses summus*. Synodus Nicæna sub hoc ultimo titulo nullum argumentum ducere voluit ad Patriarcham Antiochenum vel Alexandrinum, sed solummodo ex titulo Patriarchalis potestatis, quam Meletius per-

---

explicat HIERONYMUS ALEANDER de Suburbicariis Regionibus. Insuper De Præfectis Urbis Vid. CORNEL. TACITUS Annal. lib. 6. c. 11. ibique not. JULIANI PICHON. ROSINUS Rom. Antiquit. lib. 7. c. 15.

perturbavit ordinando Episcopos & alios Clericos, non vocatis Provincialibus Episcopis, aut Metropolitanis (51.). Hæc breviter de hoc famoso Canone indicasse sufficiat (52.). Noto tamen, nomen *Patriarchæ*, quo hic usus sum, tempore Concilii Nicæni nondum datum esse Episcopis Christianis, sed tamen confirmatam fuisse singularem Dignitatem, & Potestatem Episcopis quibusdam, quos postea dixerunt Patriarchas (53.).

§. 26. Juvat hoc loco recensere, *Qui Juris-*  
per quos Pontifex Jurisdictionem *risdictio-*  
suam in Temporalibus & Spiritualibus *nem ex-*  
exercere soleat, quamvis enim id *ercet*  
sæpe præstet per seipsum, præsertim  
in *Consistorio*, ubi præsidet Congrega-  
tioni

---

51.) De hoc casu intelligitur Canon quartus Concilii Nicæni, quem explicat BEVEREGIUS loc. cit. fol. 47. seq.

52.) Consulatur JACOB. SIRMONDUS Operum tom. 4. Differt. de Suburbicar. Region. contra Jac. Gothofredum & Claudium Salmasium. LUDOV. BAIL in Summa Conciliorum ad dict. Can. 6. PETRUS DE MARCA Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. c. 3. seqq.

53.) Videantur quæ scripsi de Hierarch. Eccles. §. 168.

tioni Cardinalium : sæpius tamen in  
 Causis non exceptis id facit per alios,  
 dum diversis Judicibus eandem Ju-  
 risdictionem concedit tam in Urbe,  
 quam in Orbe, *Legatis*, sive *Natis*, sive  
*Missis*, sive de *Latere*: nec non *Patriar-*  
*chis*, *Archiepiscopis*, *Episcopis* & o-  
 mnibus *Ecclesiæ Prælati*: *Legatis* ac  
*Gubernatoribus Status Ecclesiastici*, ac  
 demum *Judicibus Romanæ Curix*.  
 Inter hos potestatem solvendi & li-  
 gandi subdelegatam exercet per Car-  
 dinalem, qui vocatur *Summus Pœni-*  
*tentiarius*. Potestatem rescribendi  
 cum ad ea, quæ gratiam, tum ad  
 ea, quæ Justitiam concernunt, exer-  
 cet similiter subdelegatam per duos  
 Cardinales, *Præfectum Signaturæ Gratiæ*,  
 & *Præfectum Signaturæ Justitiæ*. Pote-  
 statem quam habet in expediendis Li-  
 teris de Rebus Ecclesiasticis universi  
 orbis, exercet per Cardinalem, quem  
 vocant *Vice-Cancellarium*. Pote-  
 statem circa Regimen Urbis, totiusque  
 Status Ecclesiastici in temporalibus,  
 exercet subdelegatam per Cardinalem  
*Camerarium*, & Clericos *Camere Apo-*  
*stolicæ*, qui retinent *Jurisditionem*  
 etiam *Sede vacante*.

§. 27. Præter hos primarios Pontificis Ministros, Romæ sunt Judices *Per varia* dirimendis controversiis, coercitioni ac punitioni flagitiorum præpositi. Primus inter hos est *Auditor Camere*, qui est generalis Auditor Pape, & Executor Literarum Apostolicarum, audiens intra temporalem Statum Ecclesiasticum omnes recursus & gravamina eorum, qui appellant ad Pontificem; extra Statum Ecclesiasticum autem quascunque Appellationes in Causis Ecclesiasticis, seu Beneficiariis: imo etiam audit & definit super quibuscunque delictis & excessibus, sive in Urbe, sive extra commissis: sententiam tamen sanguinis per se ipsum non fert. *Gubernator Urbis*, cujus proprium munus & Jurisdictionis consistit in exercitio gladii temporalis, & executione brachii sæcularis. Alius Judex est *Senator Urbis*, qui residet in Capitolio, & Civibus Romanis jus ordinaria facultate dicit. *Vicarius Pape*, est Judex Ordinarius inter Clericos Romanos, aliasque Personas Ecclesiasticas, inter Hebræos, & Loca pia, totamque suam Jurisdictionem exercet per duos Locumtenentes, alterum in Civilibus, alte-

rum in Criminalibus, quales etiam habent Auditor Cameræ, & Senator Urbis. *Auditores Rotæ*, qui sunt duodecim, habent Jurisdictionem habitu, & non actu: nec procedunt in Causis, nisi ipsis detur exercitium Jurisdictionis per speciale Rescriptum, & Commissionem Papæ. *Auditor Contradictarum* decernit Processus contra absentes ab Urbe, & contumaces ratione moræ in non solvendo, vel non comparendo. Citationes ejusmodi vocantur *Contradictæ*, licet ipsis nemo contradicat. Plures alii Romæ sunt Judices inferiores, qui jus de plano dicunt, & de levioribus criminibus cognoscunt. Extra urbem Regularium Ordinibus, Universitatibus, ac nonnullis Canonicorum Collegiis concedunt Pontifices, ut eligant Judices, Privilegiorum, quibus a Sede Apostolica exornata sunt, *Conservatores*, illis dotibus instructos, quos recenset Bonifacius VIII. 54.) & ad normam recentiorum Decretorum 55.)

§. 28.

54.) In Cap. Statutum. 11. de Rescript. in 6. & Cap. ult. de Offic. & potest. Jud. deleg. in 6.

55.) De his BENEDICTUS XIV. de Synod. Diocæes. lib. 4. c. 6, qui etiam Bulo



§. 28. Jurisdictionem Ecclesiasticam *Dicasteria*  
pro foro externo potest Summus Pontifex etiam concedere Laico, etiam fœminæ (56. ), in iis, quæ de se non requirunt Ordinem Clericalem e. g. conferre Beneficia Ecclesiastica,

---

iam edidit de Conservatoribus Universitatis Avenionensis. Tom. 7. Const. 142. De Judicibus Urbis & Curia Romanæ videri possunt SCACCIA de Judiciis lib. 1. c. 17. seqq. CHASSANÆUS in Catal. glor. Mund. p. 4. confid. 7. seqq. VESTRIUS in Practica. Card. DE LUCA in Relatione Curia Romanæ.

56.) HONORIUS III. in c. 12. de Major. & obed. Abbatissæ Quedlinburgensi, quod nomen ab Amanuensibus antiquis linguæ Teutonicæ ignaris vehementer est corruptum, permittit facultatem suspendendi Canonicas suas & Clericos ab officio & beneficio. Hodie æqualem potestatem habet Abbatissa Thorensis in suo Collegio Catholico Canonissarum, & Canonicorum. De hac Jurisdictione Abbatissarum fuse disputant EMAN. GONZALEZ ad dict. Cap. 12. ASCAN. TAMBUR. de Jure Abbatiss. Disp. 32. PELLIZAR. Manual. Regular. tom. 2. p. 2. fol. 954. AZOR Instit. moral. lib. 13. c. 9. q. 5. COVARRUV. in c. alma mater. de sent. excom. in 6. §. 15. n. 2. alique passim.

stica, jus suffragii in Electionibus ad talia Beneficia, dijudicare particularem causam Ecclesiasticam &c: quamvis ejusmodi Jurisdictio obtineri non possit præscriptione aut consuetudine, quæ supponunt capacitatem possidendi, quam Laicus habere non potest, nisi ex concessione Pontificia. Non tamen posset Pontifex Laicis committere omnes causas Clericorum, ac universim & generaliter ipsorum privilegio derogare, quia ex hoc perturbaretur Status Ecclesiasticus, fieretque universæ Ecclesiæ præjudicium & injuria. Inferiores Prælati & Episcopi etiam particulares causas, spirituales aut criminales Clericorum non possunt committere Laicis; bene autem causas civiles Clericorum in particularibus casibus, aut negotia Ecclesiarum mere temporalia; aut etiam executionem aliquam & ministerium facti ad impediendam perturbationem publicam, e. g. ut Clericis eripiantur arma, quæ de nocte, vel in sylvis gerunt, vel ut comprehendantur in gravi delicto deprehensi, & ad Judicem Ecclesiasticum pertrahantur.

§. 29. Episcopi suam Jurisdictionem exercent per Vicarios Generales, *Uti etiam Episcopi.* Vicarios foraneos, Consistoria, Officiales, quo nomine in Romanis Literis intelligitur Vicarius Generalis. Passim in Germania Officiali committuntur Causæ Decimales & Matrimoniales; Vicario Generali autem reliquæ Causæ Clericorum, Beneficiorum &c. Causæ hæreticales essent tractandæ coram Ordinario loci, nisi alteri sint delegatæ: hodie autem, præcipue in Italia delegatæ sunt Inquisitoribus ab Inquisitore Generali nomine Pontificis. In Germania vi Pacis Westphalicæ 57.) Jus Dicecesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Confessioni Augustanæ addictos, usque ad compositionem Christianam diffidii Religionis, suspensa est, & intra terminos territorii cujusque se continet. Aliæ mutationes circa Jurisdictionem Ecclesiasticam passim in Regionibus etiam Catholicis invalescunt 58.). Optandum ut *Laici Ecclesiastica*

57.) Instrum. Pac. Art. V. §. 48.

58.) Vid. JOAN. PETRUS GIBERT Corp. Jur. Can. tom. 2. fol. 110.

*De Judiciis.*

siastica tractare negotia non præsumant :  
nec propter eorum prohibitionem Ecclesia-  
rum Prælati Ecclesiasticam dimittant ju-  
stitiam exercere 59.).

InCausis  
profanis  
Germania

§. 30. In Causis profanis Imperii Romano Germanici, Supremus Juxta est Imperator, sub quo sunt duo Summa Tribunalia, scilicet Consilium Aulicum, & Camera Imperialis. Consilii Aulici, nunc Viennæ morantis Caput est ipse Imperator : Præses ex Principum, Comitum vel Baronum Imperii ordine : Assessores in duo scamna, Nobilium scilicet & Doctorum divisi. Originem suam habet a Judiciis Palatinis, quæ res arduas & majoris momenti judicabant. Qua autem ratione in hodiernam formam fuerit redactum, non est hujus loci, ut recensetur 60.). Judicium Camerale nomen habet a Camera seu Conclavi, in quo celebratur, cum Judicia alias sub dio haberentur: originem trahit a Comitibus Norimbergensibus

59.) C. 2. de Judiciis.

60.) Vid. STRUVE Corp. Jur. publ. cap. 26. PFEFFINGER ad Vitriar. tom. 4. a fol. 693. AB UFFENBACH, MOSERUS &c.

sibus Anni 1467. 61.). Hodie stabilitum est Wetzlaræ sub Judice Camerae, duobus Præfidentibus 62.), & Assessoribus trium Religionum, scilicet Catholicis, Lutheranis, & qui se Reformatos dicunt. Ex hac ipsa ratione istud Tribunal non recipitur in Urbe aliqua, in qua non viget omnium trium Religionum exercitium 63.). Conventus Statuum Imperii, qui continuatur hucusque Ratisbonæ, hodie non sibi sumit munus discutiendi Causas litigiosas, & procedendi judicialiter: causas autem particulares sub ea tantum ratione cognoscit, sub qua attingunt publica Imperii negotia,

C 2

jura

61.) De Judicio Camerall vid. ANDRÆ GAIL, & MYNSINGERI observationes; JACOBUS BRUMIUS, SCHVANNMANNUS, MELCHIOR DE LUDOLFF de Jure Cameralli, Corpus Juris Cameralis, ubi Conceptus novæ ordinationis Cameralis.

62.) Comites Sueviæ proponebant aliquando Imperatori, non alios Præsidentes Camerae Imperialis solere constitui, nisi immediatos Comites Imperii. LUNIG Grund - Feste &c. tom. 2. fol. 507.

63.) Vid. LUNIG loc. cit. fol. 574. seqq. In Theatro Europæo ad annum 1683. fol. 509. seqq. refertur protestatio Urbis Schweinfurtensis, quæ simul cum Fridberga & Wezlaria pro Sede Camerae pro-

jura Statuum, seu Leges fundamentales Imperii. Quilibet immediatus Princeps & Status Imperii, ac libera Respublica exercet Jurisdictionem in suos subditos per varios Officiales aut Tribunalia, & nonnulli quidem ita illimitate, ut nulla detur Appellatio ad Suprema Imperii Tribunalia, prout suo loco dicitur.

*Supremus  
Judex est  
Imperator.*

§. 31. Præterea sunt in Germania quædam Judicia Provincialia & publica (Land-Gericht) nomine Imperatorio exercenda. Vocabantur olim *Mallus publicus*, cui Comes ex Commissione Imperatoris præerat. Tale est *Judicium Burgraviatus Norimbergensis*, a Rudolpho I. Imperatore in feudum concessum Friderico Burgravio in Nürnberg 64.), demum Onolzbacum translatum, ubi adhuc continuatur. *Herbipolense*, cujus Ordinationes typis impressæ prodierunt 65.), Provinciale *Suevicum*, in tribus Civitatibus Imperialibus Ravenspurg, Wan-

posita fuit.

64.) LUNIG part. spec. p. 3. fol. 294. seq. ubi Diplomata Rudolphi I. data Anno 1273. & 1281. & seqq.

65.) Vid. GYLMANN, Symphorem, tom. 6. c. 8.

Wangen & Isny, præcipue autem in Vico Altdorff, qui vocatur Weingarten 66.). *Hirschbergense*, quod post obitum Comitum Hirschbergenfium transiit ad Duces Bavarix 67.). Præcipuum nomen olim habuit, & reliquias adhuc retinet Consistorium Imperatoris *Rotwilense*, quod instituerat Conradus III. Imperator in signum grati animi, quod ibi tutum locum invenerit contra Lotharium Saxonem 68.). De his omnibus plena manu agunt Scriptores Juris Publici, quos nominat JOAN. JACOB. MOSER in Bibliotheca Juris Publici.

C 3

TITU-

66.) Bar. DE CRAMER Nebenstunden part. 17. sect. 1. LUNIG Grund-Feste p. 2. fol. 1. seqq.

67.) Vid. Acten mässiger Unterricht von dem Land-Gericht Hirschberg. impressum Anno 1751. de hoc, uti & de Judicio Provinciali Grayspacensi, & Höchstetensi mentionem facit Sigismundus Imperator apud LUNIG part. spec. Contin. 4. fol. 414. seqq.

68.) Confirmationem Maximiliani I. refert LUNIG part. gener. Cont. fol. 168. Pro ipso manutenendo rationes leguntur apud eundem Grund-Feste p. 2. fol. 584. seqq. Vid. KNIPSCHILD De Civit. Imper. lib. 2. c. 33. n. 223. seqq. & lib. 3. c. 47.